



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinonis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XXXI. Vtrùm subjectio intellectûs ad voluntatem, probet assensum  
æquè aut minùs probabilium esse probabilem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



# QUÆSTIO TRIGESIMA. PRIMA.

*Vtrum subjectio intellectus ad voluntatem, probet assensum  
aquè aut minus probabilium esse  
probabilem ?*

**1.** ARGUMENTUM hoc à me tractatum est *quæst. 8. & 9. de Consc. prob.* in quibus efficaciam rationis ab ista subiectione desumptæ latè deduxi. Non est meæ intentionis ibi dicta hinc repetere, libuit tamen quæstionem sub istis terminis iterum proponere, ut argumentum, quod à subiectione intellectus ad voluntatem, & à paritate utriusque potentiz Celladeus *quæst. 3. Appendicij* sibi objecit, proponerem, ostenderemque responsiones, quas ad illud inferendum affert, nullius roboris esse, sed ad argumentum validè corroborandum plurimum deservire.

## ASSERTIO UNICA.

*Celladeus non solvit argumentum, ab intellectu ad voluntatem subiectione desumptum, quod sibi objecit ad probandum, quod aquè & minus probabile sit opinabile.*

**2.** ASSERTIO hæc non aliter probari potest, quam argumentum proponendo, & solutiones illius examinando. Primò ergò proponam argumentum, sed cum aliqua diversitate, ut illud fortius urgeam. Itaque Celladeus *quæst. 3. Appendicij* sic contra se insurgit.

## ARGUMENTUM PROPONITUR.

Argumentum proponitur.

**3.** ITA se habet intellectus ad verum apparens, sicut voluntas ad bonum sibi apparens. Sed voluntas ex duobus bonis impossibilibus propositis potest determinari ad æquale & minus. Ergò intellectus ex duobus veris apparentibus incompossibilibus determinari potest ad æquale & minus. Sed in eo est diversitas, quòd voluntas, utpote unica potentia libera, determinetur à se ipsa, intellectus verò à voluntate, cujus libertas ad omnes potentias sibi subjectas determinandas deservit, ut ostensum est, *quæst. 9. de Consc. prob. num. 22.* Hoc argumentum Celladeus gravissimo cuidam, sed innominato magistro attribuit, de quo queritur, quod illi nimis adhæserit, quòdque tum propter illud, tum propter maximam & gravissimam apparentiam veritatis utriusque contradictionis parti faventis fixus in sua sententia permanerit. Hæc est Celladei querela, qui in hoc argumento de maximo illo Magistro & victoriam & triumphum tulisse sibi videtur. Sed quàm immeritò, Deo dante, clarè apparebit *quæst. 38. ubi*

de eodem illo Magistro, atque de hac Celladei querela opportuniore loco sermo redibit.

Argumentum hoc, ut à me propositum est, & *quæst. 8. & 9. de Consc. prob.* latè tractatum, existimo esse efficax &, apud æquum judicem rem convincere, si apparentia tam antecedens, quam consequens affectum & assensum uni parti impensum, ante oculos habeatur; simulque serid cogitetur, qualis & quanta sit potestas in voluntate ad indifferentiam potentiæ sibi subjectarum determinandam. Certum enim est argumenta Celladei ex istorum confusione procedere, omnemque vim amittere, si hæc debitè perpendantur, ut mox apparebit.

## OBJECTIONES CELLADEI

solvuntur.

**4.** OBJICIT primò. Pro voluntate fit comparatio inter bonum & bonum, quia utraque pars est bona. Ergò ut sit paritas, fieri debet comparatio inter verum & verum: sed in opinabilibus contradictoriis non datur verum & verum, sed verum & falsum. Ergò argumentatio est inepta.

Obiectio 1.

Respondeo, comparisonem sæpè fieri pro voluntate inter bona tantum apparentia, non vera; aut saltem inter bonum purè apparens ex una parte, & bonum reale ex altera. Ergò comparatio & paritas hæc aptissimè quadrat per omnia. Verum quamvis quoad hoc daretur aliqua disparitas, adhuc paritas quoad alia abundè sufficeret ad intentum argumenti, ut ex sequenti objectione constabit.

Solutio.

**5.** Objicit secundò. Per bonum & bonum non egredimur extra spheram & obiectum voluntatis. At per verum & falsum egredimur extra spheram intellectus. Ex contradictoriis autem unum est falsum, & hoc intellectus novit. Ergò licet voluntas eligere possit inter bonum & bonum, & amplecti quod est minus; non ideo poterit movere intellectum, ut eligat inter verum & falsum, & judicet quamlibet partem.

Obiectio 2.

Respondeo primò ut antè, sicut voluntas non egreditur extra suum obiectum, quando eligit bonum purè apparens non verum: ita nec intellectus quando non determinatur ad falsum, quod apparet verum, ut omnes fatentur in quovis iudicio falso. Præterea voluntas eligere possit inter duo bona apparentia, quamvis intellectus sciret, alterutrum esse solùm apparens, modò determinatè nesciret, quænam esset illa pars. Ergò utrobique datur omnimoda paritas.

Responsio.



Intellectus non egreditur extra suum objectum, quod determinatur ad quamlibet ex partibus contradi-ctoriis.

6. Respondeo 2. intellectum non egressurum extra suam sphaeram, casu quo determinaretur a voluntate ad assensum, idque duabus de causis. Primo, quia antecedenter utraque pars disjunctive est apparenter vera, quamvis altera illarum sit falsa. Ergo voluntas determinans intellectum, non moveret illum extra suam sphaeram, quia moveret ad verum apparens. Nec obstat, opposita argumenta falsa periculum proponere; quia etiam in voluntatis objecto saepe proponitur non periculum, sed certissima ratio mali connexi cum bono quod eligitur, quo non obstante, eligi potest hoc praeter illo. Secunda ratio est, quia per ipsum affectum & imperium voluntatis, veritas magis apparet ex parte erga quam voluntas propendit. Idem autem multo magis habetur per ipsum assensum imperatum, utpote qui essentialiter est approbatio sui objecti ut veri, & rejectio oppositi ut falsi. Ergo intellectus non egredere- tur extra suam sphaeram, nec determinaretur ad agendum extra sphaeram, quamvis determinaretur ad assensum juxta doctrinam *quaestione superiore* traditam. Et sane quamdiu utraque pars contradictionis apparet probabiliter vera, perspicuum est, objectum intellectus reperiri in utraque. Stante autem hoc, paritas argumenti subsistit, quamvis in aliis daretur disparitas, quae tamen non datur.

Obiectio 3.

7. Obiecit tertio. Ex eo quod sit bonum jejuna- re in die praecipit, non sequitur quod solvere jejunium non sit bonum, aut non contentum sub objecto voluntatis. At si unum ex contradi-ctoriis sit verum, evidenter sequitur alterum esse fal- sum, & extra sphaeram intellectus. Ergo paritas est inepta.

Responso per reposito- nem.

Respondeo, argumentum a Celladeo solven- dum esse in voluntate. Quando sciremus, unam partem propositam non esse bonam, tunc enim ex eo, quod una sit bona, evidenter sequitur, alteram non esse bonam, sed positam extra ob- jectum voluntatis. Voluntas tamen in eo casu eli- gere possit pro arbitrato.

Utraque pars con- tradictio- nis in pro- babilibus est objectu intellectus, quavis scia- mus altera- ram esse falsam.

8. Respondeo secundo, argumentum ad intel- lectum applicatum non aliter valere, quam si una pars determinata sciatur esse vera, non enim aliter scimus, alteram partem esse falsam. In pro- babilibus enim, quamvis credamus unam partem esse veram, non tamen scimus alteram esse falsam, quia forte decipimur. Itaque quamvis unum ex probabilibus sit verum, non sequitur alterum non apparere verum, aut esse extra sphaeram intel- lectus; quamvis si unum actu credatur verum, alterum, stante illo iudicio, verum reputari ne- queat. Ratio est, quia adhuc pars rejecta sollici- tat ad assensum, & accedente imperio voluntatis efficere potest, ut prius iudicium deponatur, & aliud oppositum eliciatur. Verum quoad hoc etiam viget paritas cum voluntate, quia voluntas non potest simul velle utrumque ex bonis appa- rentibus oppositis, nec stante electione unius eli- gere alterum. Illud tamen non ideo egreditur extra objectum voluntatis, quia adhuc sollicitat voluntatem ad mutandam electionem, & ad se amplectendum, repudiato opposito ut minus conveniente. At totum hoc locum habet in intel- lectu, etiam in sensu composito iudicii, uni parti alligati. Et multo magis locum habet in sensu diviso talis iudicii, quod nobis ad praesentem pa- ritatem firmandam abunde sufficit. Ergo iterum errat Celladeus, dum infert paritatem esse ine- ptam, sicut clarius in argumento erraverat, di- cens: *Evidenter sequi unum ex contradi-ctoriis proba-*

Error Cel- ladei nota- tur.

bilibus esse extra objectum intellectus, si alterum sit verum. Quia ex dictis perspicuum est, oppositum esse verissimum.

Obiectio 4.

9. Obiecit quarto. Ex eo quod voluntas eli- gere possit bonum aequale vel minus, inferri de- beret, quod intellectus judicare possit verum a- quale vel minus. At hoc est de subiecto non sup- ponente. Praeterea contradictoria probabilia non solum non sunt aequaliter vera, sed nec vera, quia unum est necessario falsum. Ergo ipsi termini argumenti argumentum dirimunt.

Responso.

Respondeo, recte inferri, quod intellectus determinari possit ad absolute judicandum, illud esse verum, quod, antecedenter ad omnem affe- ctum, solum aequale aut etiam minus apparenter erat verum, quam oppositum. Estet quidem de subiecto non supponente dicere, utramque con- tradictionis partem esse realiter aequale veram. At certum est, quod utraque sit simul apparenter ve- ra, quodque saepe pars realiter falsa longe magis accedere videatur ad verum, quam quae re ipsa vera est. Similia per omnia reperuntur etiam in voluntate, quando illa versatur inter duo bona mere apparentia, aut inter bonum reale, & appa- rens. Quod enim unum illorum non sit verum bonum, sed vel bonum inane, vel etiam malum, non tollit, quod minus utraque pars sit apparenter bona. Nulla ergo contradictio in terminis argu- menti, sed solum in mente Celladei, qui confun- dit verum apparens cum vero reali: distinguat haec, & argumentorum suorum nullitatem per- spiciet.

Obiectio 5.

10. Obiecit quinto. Magis & minus proba- bile in contradictoriis non sunt species, seu diffe- rentiae veri, quod est objectum intellectus, quia una pars est falsa. Genus enim salvari debet in speciebus ac differentiis subiectis. At contrarium con- trinitur in bono, quia utrumque ex bonis contra- riis est bonum, ut videre est in honesto ac dele- ctabili tibi contrariarum. Ergo paritas nulla est.

Solutio.

Respondeo, eandem hic latere aequivocatio- nem, quam in superioribus deteximus, quia bonum & verum reale confunditur cum bono & ve- ro apparente. Objectum intellectus est verum apparens. At utrumque ex contradictoriis est ve- rum apparens, quia haec ratio non destruitur in una parte, eo quod veritas realis reperitur in al- tera. Idem profertur dicendum de bonitate, non enim semper bona opposita, voluntati proposita, sunt vera & realia bona, sed alterum saltem mem- brium aliquando est mere apparens. Nec inde se- quitur, quod pars illa non sit species boni, quod est objectum voluntatis; quia non solum bonum reale, sed etiam bonum apparens est objectum voluntatis. At haec ratio bonis etiam fictis com- petit, quando proponuntur ut bona. Errat pro- inde Celladeus, dum supponit in argumento, quod solum bonum reale sit objectum voluntatis, cum contrarium satis constat. Praeterea, etsi oppositum concederetur, adhuc argumentum nil concluderet, quia certum est, verum apparens esse proprium objectum intellectus, extra quod ferri nequit, & in quod semper fertur.

Obiectio 6. proprium vo- luntatis est bonum appa- rens, in- tellectus- tem verum apparens.

Obiectio 6.

11. Obiecit sexto. Paritas ista non magis pro- bat de probabilibus in doctrina & in iure, quam in facto. At in rebus de facto nemo non videt falsitatem consecutionis. Duobus enim aequale fi- de dignis contraria testantibus, neutri credo, & imprudens essem, si ulli, maxime si fide minus digno, crederem. Haec probant assensum, in casu aequalis aut minoris probabilitatis in rebus facti, esse vel impossibilem, vel imprudentem. Ergo



Ergo & in iure, cum argumentum nostrum non magis valeat pro uno, quam pro alio casu.

Solutio.

Diversa est ratio in materiae iuris & facti.

Respondeo primò, magnam esse disparitatem inter factum & ius, quia in rebus facti, quando testes contraria deponunt, certum est nullam esse rationem pro una parte, nempe pro illa, quae studiosè mendaciter asseritur. Unde certum pariter est, quod utraque pars non sit probabilis. At in rebus iuris & doctrinae certum est, rationes apparentes dari pro utraque parte, easque adeo validas esse, ut homines peritos in assensum alliciant, etiam postquam consideraverint argumenta opposita. Itaque in casu doctrinae & iuris certum est, utramque partem esse probabilem. Hac de causa motiva illa similia testium, contraria deponentium, ita se elidunt, ut nemo prudenter uli praestare possit assensum; sed in casu doctrinae ac iuris motiva dissimilia rationum non ita se elidunt, quin intellectus prudenter flexi possit in assensum cuiuslibet partis. Quae omnia ex professo ostenduntur infra quaest. 38.

Tam in materia facti quam iuris assensus utriusque partis est possibilis per imperium voluntatis.

12. Respondeo secundò. Si sermo sit non de prudentia, sed de possibilitate iudicii, paritas argumenti aequè extenditur ad res facti, ac ad res iuris, quia iudicium in utraque materia est possibile, quamvis in neutra elici possit iudicium de veritate unius partis, in sensu composito cum iudicio finali, agnoscente motiva utriusque partis esse aequalia. Ratio est, quia quamvis antecedenter ad omnem affectum, uni materiae aut personae peculiariter additum, dignitas utriusque testis sit aequalis, tamen consequenter ad affectum uni parti additum, pars illa verior, & testis veracior apparet. Similiter si ante assensum nulla fiat comparatio, eo ipso quòd animus magis afficiatur ad unam personam, quam ad aliam, intellectus determinari potest ad unius testimonium alteri preferendum, credendo hunc esse veracem, & illum mendacem; ita tamen, ut per hunc ipsum actum magnae apparentiae inaequalitas inducatur, ut scilicet nunc hoc ipsum longè probabilius appareat, quam oppositum, quamvis antecedenter ad omnem affectum, nullus esset excessus inter apparentiam unius & alterius partis. Itaque intellectus in eo casu ita se haberet per imperium voluntatis, sicut se habet voluntas, dum eligit unum pro alio. Sicut enim voluntas in eo casu magis amat unum quam alterum, & affectivè praefert hoc ut sibi conveniens, alterumque ut inconveniens repellit, quamvis antecedenter ad electionem voluntas aequè attraheretur ad utramque partem, aut etiam minus ad partem, quam amplectitur, ut praefert in actu secundo, ita similiter se res haberet in intellectu, qui per actum imperatum ferretur in actu secundo in unam partem, ut in prevalentem ac veram; in alteram ut in superatam ac falsam, quamvis in actu primo non magis attractus fuit ad unam quam ad alteram.

Aequivocatio Celladei.

13. Porro in hoc continuaequivocatio decipit Celladeum; putat enim nos ita dicere, iudicium de absoluta veritate unius partis elici posse ex imperio voluntatis, ut simul habeamus aliud iudicium, quo dicamus partem oppositam aequalia aut potiora fundamenta habere. At omnes hoc non dicimus, sed ego cum multis dico oppositum. Frustra ergo expectat Celladeus, ut Magister ille, de quo antea locutus erat, in aliquo libro palam & disertè edat hanc propositionem: *Ego sic opinor, fateor tamen argumenta contraria esse meliora.* Non dicet hoc Magister ille, Celladee, sed si fortè scribat contra te, dicet, nò fallor,

quod ego dixi & dico, falli te in intellectu opinionis, quam impugnandam suscepisti, atque ex mera terminorum aequivocatione apparentias quaedam, quibus incauti decipi possunt, attulisse; sed eas ne quidem impetere quaestionem ritè propositam, & in sensu à nobis intento intelligam.

Obiectio 7.

14. Obijcit septimò. Voluntas passim mutare potest suos amores, & si eligit minus bonum, manet indifferens ad amplectendum melius. Ergo si paritas subsistat, intellectus debet esse indifferens ad opinionem de una in aliam contradictionis partem mutandam. Hoc non conceditur. Cur ergo paritati voluntatis insistitur?

Solutio.

Respondeo in primis, disparitatem iam supra allatam esse, quia apparentia consequens iudicium est longè majus pro illa parte, quam pro opposita. Similiter ostensum est, difficultatem mutandi opiniones majorem esse ex hoc ipso capite, quam in mutanda libera electione voluntatis.

Electio vni-

us partis saepe difficiliorem reddit electionem oppositam.

15. Respondeo secundò, voluntatem esse quidem liberam ad melius, postquam amavit minus bonum; ita tamen ut electio melioris hoc ipso evadat longè difficilior, quam esset ab initio. Quàm rarum est, ut qui peccatis indulget ad meliorem amanda revocetur, quamvis ipse ea fateatur esse meliora? quantà gratia opus est, ut talis voluntas, etsi libera, ex fundo cordis verè mutetur? Quid mirum ergo, si intellectus opinionem conceptam difficulter mutet? Certè illa mutari non potest, nisi voluntatis imperantis affectus etiam mutetur. At talis voluntas difficilè mutatur, ut apparet in haereticis, aliisque omnibus, qui suis opinionibus addicti sunt. Ceterum si affectus voluntatis mutetur, & iudicium comparativum de aequalitate aut minoritate motivorum impediatur, eadem mutatio conceditur in intellectu, quae in voluntate conceditur, quia eadem mutatio per imperium voluntatis fieri potest in intellectu, quae liberè exercetur in ipsa voluntate. Ergo rarissimè insistitur paritati.

Obiectio 8.

16. Obijcit octavò. Voluntas libera est, ut ex omnibus bonis visis amet & non amet quodcumque voluerit, excepto Deo viso. Ergo, si paritas voluntatis valeat, inferri debet, quod intellectus determinari possit à voluntate ad negandum assensum cuicumque veritati manifestatae praeter Deum clarè visum. At consequens est aperte falsum. Ergo voluntas est liberior, circa suos actus, quam circa actus intellectus. Ergo ineptè arguitur, unde plus potest, ad id in quo minus potest; sicut si rex possit aliquid in suo regno, malè inferetur, quod illud possit in regno non suo.

Solutio.

Multa sunt, ad quae voluntas non est libera.

Respondeo, argumentum hoc tot errores continere, quot propositiones. In primis voluntas non est libera ad volendam & non volendam beatitudinem sub nozione beatitudinis, ut S. Thomas expressè tradit in illo ipso articulo, quem Celladeus hic contra nos citavit. Id ipsum antea à Sancto Augustino traditum fuerat, & omnes in eo consentiunt. Ergo voluntas etiam extracafum Dei visi non semper est libera. Nec desunt alii casus innumeri, in quibus nulla est libertas. Quoties deest cognitio indifferens, quoties bonum aliquod representatur ut purè bonum, nec ulla mali mixtio apparet, voluntas non est libera, sed rapitur ad consensum. Itaque voluntas est solùm libera in illis circumstantiis, in quibus non rapitur in consensum ab objecto proposito, aut ipsa non possit affectum impossibilem cum alio affectu, qui ceteroquin liber fuisset.



fuisse. In istis enim casibus voluntas non est libera. Non in primo, quia rapitur ab objecto. Non in secundo, quia in sensu composito cum amore Petri, non potest Petrum odire ob dispositionem inconjunctibilem cum odio Petri.

Intellectus determinari potest à voluntate, sicut voluntas à seipsa.

17. Hinc non inferitur, intellectum determinari posse ad non assentiendum ulli veritati, præterquam existentie Dei intuitivè visi. Immo quamvis antecedens esset verum, consequentia esset mala: quia sicut voluntas non habet imperium in seipsam, quando bonitas objecti illam rapit in amorem; ita non habet imperium in intellectum, quando veritas rapit illum in assensum. Accidentale autem est, quod veritas in pluribus casibus rapiat intellectum, quam bonitas voluntatem. Itaque paritas in eo est, quod sicut voluntas suâ libertate se determinare potest ad quamvis partem quamdiu aut non rapitur à bonitate proposita, aut non habet affectum impossibilem cum affectu alterius partis; ita pariter determinare potest intellectum, & alias potentias sibi subiectas, quamdiu non rapiuntur ab objecto proposito, aut non habent actum impossibilem cum alio actu. Atque hinc est, quod voluntas determinare possit intellectum ad utramlibet partem contradictionis judicandam, quando utraque in actu primo est æquè probabilis, aut una probabilior aliâ, neque ponitur ullum iudicium comparativum ex parte intellectus impossibilem cum iudicio approbante unam, & rejiciente alteram partem. Ratio est, quia intellectus in hisce ita subditur voluntati, sicut reliquæ potentie eidem subduntur. Præterea si intellectus & aliæ potentie essent liberæ, sicut voluntas, in istis casibus possent se determinare, sicut voluntas nunc seipsam determinat. Ergo nunc determinari possunt per voluntatem in istis casibus, quia libertas voluntatis de facto servit

ad determinandas alias potentias pro iis circumstantiis, pro quibus illæ seipsas determinare possent, si essent liberæ sicut voluntas. Poterit ad hoc impertinens est, quòd voluntas sit, aut non sit liberior circa suos actus, quam circa actus aliarum potentiarum; quia tunc solum determinatio habenda est per voluntatem, quando potentie nec ex se, nec ex objecto, nec aliunde terminantur ad unum. Aptissime ergo arguitur à voluntate ad intellectum pro omni casu, quo neutra potentia à suo objecto determinatur, sed solum ab illo allicitur, quamvis per accidens hoc sæpius contingat in voluntate, quam intellectu.

18. Cæterum paritas illa regis imperantis in suo regno, ad eundem imperantem extra suum regnum, non est apta ad præsens intentum, quia supponit, voluntatem non magis habere dominium in alias potentias, quæ proinde ad illam pertinent, tamquam regno & imperio ejus subiectæ. Tota difficultas est, quæ & quanta sit ista subiectio? Nos respondemus, eam in omnibus esse similem & eandem, ut nempe sicut voluntas seipsam determinat, quando ab objecto non rapitur, sed cognoscit illud cognitione indifferenti &c. ita pariter determinare potest potentias subiectas, quando illæ ab objectis suis non determinantur, maxime si ab illis, ut fit in intellectu, notabiliter alliciantur. Ad hoc enim voluntati libertas collata est, ut in talibus suppleat vices objecti determinantis, idque tam pro se quam pro alius potentie sibi subiectis. Nil contra hoc faciunt, quæ Celladeus contra argumentum à paritate hac desumptum attulit, sed omnia eandem paritatem confirmant. Unde Magister ille gravissimus gratias debet Celladeo, qui suis impugnationibus illustriorem reddit paritatem ac veritatem ab illo propositam.

Voluntas habet imperium in intellectu.

Quantum fit hoc in intellectu.



QUAE